

februarii. inclusiue quod misse et alia diuina officia ante horam none complenda nequeant more debito celebrari Quare nobis jdem episcopus humiliter supplicauit ut dictis mensibus in eadem ecclesia lincopensi ante lucem diei missarum sollempnia celebrandi licenciam concedere dignaremur, Nos itaque ipsius episcopi deuotis in hac parte supplicacionibus inclinati ut liceat clericis et sacerdotibus ipsius ecclesie in mensibus predictis videlicet Octobris Nouembris decembris. Januarij & februarij inclusiue missas antequam illucescat dies circa tamen diurnam lucem in dictam ecclesiam celebrare. jta quod id taliter celebrantibus ad culpam nequeant imputari. tenore presencium de speciali gracia indulgemus. Nulli ergo &c. nostre concessionis &c. Datum Rome apud sanctam Mariam jn transtyberim XII. kal. decembris Pontificatus nostri Anno Primo.

476.

1262.

Biskop BENGTE i Skara stadfästelse på Arnbjörns Kanikeräntor af några åboar i Öraryd, samt Domprost-tionden af Ayr och Bjärkahärad, jemte en half gård lemnad af Biskopen, och några bodar vid torget, lemnade af Dom-Prosten.

B. 7: 14. 30.

Uniuersis christifidelibus tam posteris quam presentibus quibus presens scriptum innotuerit B diuina miseracione scarensis episcopus salutem in nomine ihesu christi Cum prebende in ecclesia nostra adeo essent tenues & exiles quod ad eas canonici minime possent residere. ad Rentam domini arnberni capellani nostri & canonici dimidiam curiam quam de hulthone comparauimus addidimus perpetualiter attinendam Dominus eciam prepositus vt debitum in eadem ecclesia ageretur seruicium ex consilio nostri & capituli quasdam tabernas foro vicinas quas cum eidem prepositure presidere-mus lucrati fuimus assignauit eidem. Hec igitur & alie dicte rente attinentes scilicet colonas de ørariwdhum & has prouincias. Ayr. biærkaheradh quantum ad precepconem modij prepositure quondam attinentes prefato A confirmamus presens scriptum sigillo nostro & sigillis ejusdem domini B et capituli roborantes Datum Anno domini M°.CCLXII pontificatus nostri anno V°.

I brädden med annan hand: modius prepositalis in bierkaheradt &c.